



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 113. Francisci Guillon Baccalaurei Theses Facultatis Theologicæ jussu
correctæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. *nendos esse fideles, & serio excitandos, ut
A. C. 1656. supra dicta, quantum in ipsis erit, obser-
vare studeant.*

Ceterum Doctores Religiosi hanc
Facultatis declarationem nequidem
prælegi in comitiis generalibus sustine-
bant, quinimo Pater Bagotus librum
suum antea Gallice scriptum latinitate
donavit, ac Romæ approbatum ibidem
typis Cameræ Apostolicæ tertio post
anno excudi curavit.

§. CXIII.

*Francisci Guillou Baccalauri Thesi
Facultatis Theologicæ jussu
correctæ.*

*Argentoræ
h. G.*

Ejusdem anni die decima Januarii
Dionysius de la Barde Theologie
Magister & San - Briociensis Episcopus
exposuit Facultati Theologicæ, quod
Franciscus Guillou Baccalaureus pro
obtinendo Doctoratus honore Thesi
ediderit, quæ auctoritati Episcopi
plurimum derogaret, quapropter pe-
tiit, ut quidam nominarentur Doctores,
qui hanc thesin examinarent, interim
vero illius Auctorem a Doctoratus gradu
arcerent. Huic petitioni annuens Fa-
cultas sex deputabat Magistros ceteris
sapientia eminentiores, qui ea de re
proxime referrent. Die igitur decima
quinta

quinta ejusdem Mensis ex his anti-^{Sæc. XVII.}
 quior retulit, se cum aliis Magistris ^{A. C. 1656.}
 præfatam Thesin mature discussisse, ac
 jussisse, ut ipsemet Baccalaureus adesset.
 Hic ergo ab Episcopis ipsisque nomi-
 natis Magistris veniam petens decla-
 ravit, *se agnoscere & fateri, Episcoporum*
jurisdictionem esse juris divini, & esse im-
mediate a Christo, eosque in Conciliis Ge-
neralibus, & a fortiori in aliis vere esse ju-
dicēs, atque in illis ex eorum judiciis sum-
mmum Pontificem pronuntiare, neque quid-
quam in sua Thesi, de qua nonnulli con-
questi sunt, contrarium dicere intendisse.
 Hanc declarationem sua manu scriptam,
 suoque nomine apposito, & syngrapha
 munitam tum Episcopis, tum De-
 putato Magistro dedit. Postmodum
 vero ceteri censuerunt Deputati, The-
 sim illam esse supprimendam propter
 ambages, & obscuritates erroneis sen-
 sibus obnoxias, quibus scatet, & qui-
 bus recepta Canonum Ecclesiasticorum
 & Decretorum hujusce Facultatis tam
 veterum, quam recentiorum Doctrina de
 tribus immediate a Christo institutis
 Ecclesiasticæ potestatis gradibus, sum-
 mi Pontificatus in Petro, Episcoporum
 in Apostolis, & Presbyterorum in se-
 ptuaginta duobus Discipulis videri pos-
 set concussa & labefactata, atque ut
 tollatur omnis occasio querelæ, & su-
 spicio

Sæc. XVII. spicio erroris, de consilio Deputatorum
 A. C. 1656 deletæ fuerunt in sexta illius Thelis ap-

pendice duæ ultimæ lineæ, quibus videbatur asseri: *Ex omnibus Apostolis solum Petrum a Christo immediate fuisse creatum Episcopum.* Itemque videbatur dubitari, *an omnes Apostoli fuerint Episcopi.*

Ibidem enim Baccalaureus hæc assererebat: *Primi Ecclesiarum Episcopi, etiam Apostoli, non ipsi se Episcopos creaverunt; sed Christus Petrum Episcopum Episcoporum, & alios Petrus, & Jacobum Minorem Episcopum Hierosolymitanum: & si qui alii ex Apostolis Episcopi fuerunt, nec Christus ipse nisi a Patre factus est Pontifex.*

Hanc autem Thesin Facultatis Doctores eradi postularunt: Insuper in postrema Thelis suæ appendice, in qua plus inerat difficultatis circa Apostolatuum ipsum, & annexa Apostolatui gratiarum dona & potestates, necnon circa jura Episcoporum in convocandis Synodis particularibus, & in sancendis cum summo Pontifice conciliorum generalium definitivibus, quidquid detorqueri poterat contra veritatem, id omne hic Deputatus expungi voluit, eoquod disertis verbis ita pronuntiasset Baccalaureus: *Sancitæ Petrus totius Ecclesiæ fundamentalis Petrus, & Pastor universalis, Apostolorum Princeps, in illo Primatu Christi consors & se-*

cuius participatione factus est. Si quid Christus Sæc. XVII.
 solus cum eo cæteris commune voluit esse Apo- A. C. 1656.
 stolis, nunquam nisi per ipsum dedit, quic-
 quid illis non negavit. Solus Successores
 habet Apostolos, seu plenitudinem habentes
 Apostolicæ potestatis Romanos Pontifices.
 Ergo Ecclesia de jure Divino Monarchia
 est, tametsi Aristocratia temperata. Opti-
 mates sunt cæteri Episcopi, singularum ple-
 bium capita, quos solus idem Pontifex in
 Concilium vel particulare, vel generale, non-
 nunquam ad melius necessarium convocat,
 ubi auditis illorum sententiis ac judiciis,
 ipse pro sua autoritate, certoque ac insal-
 libili Charismate verbum fidei pronuntiat,
 suggerente imprimis Spiritu veritatis, quem
 misit Christus æternum, ut maneat in Ec-
 clesia Romana, quæ est domus Christi.

Hanc thesin ejusmodi verbis ex-
 poni jusserunt Deputati, ut nihil erro-
 neum, vel dubium circa hoc argumen-
 tum remaneret, si velit ad Doctoratus
 gradum admitti: Hic ergo ad Deputa-
 torum mentem hanc Thesin ita corre-
 xit: Sanctus Petrus totius Ecclesiæ funda-
 mentalis Petra & Pastor universalis, Apo-
 stolorum Princeps a Christo constitutus est;
 Successores habet Romanos Pontifices cum
 plenitudine Apostolicæ potestatis. Ecclesia
 de Jure Divino Monarchia est, tametsi Ari-
 stocratia temperata: Principes Jure item
 Divino sunt cæteri Episcopi singularum ple-
 bium

Sæc. XVII. A. C. 1656. *bium capita, quos idem Pontifex in Concilium Generale convocat, ubi ex illorum sententiis ac Judiciis ipse pronuntiat, suggerente imprimis Spiritu veritatis, quem misit Christus.*

Postea Baccalaureus circa Episcoporum jurisdictionem mentem suam his verbis declaravit: *Agnosco & fateor, Episcoporum Jurisdictionem esse Juris Divini, & esse immediate a Christo, eoque in Conciliis generalibus vere esse Judicem, atque in iis ex eorum Judiciis summum Pontificem pronuntiare: neque quidquam in mea Thesi, de qua nonnulli conquesti sunt, contrarium dicere intendi. In cuius fidem hic subscripsi die 14. Januarii 1656. Signatum Guillou, cum Syngrapha.*

His ita decisis Præsules ex parte totius Cleri Gallicani Theologicæ Facultati per Petrum de Bertier Montalbensem Episcopum grates egerunt, eoque Hierarchici Ordinis jura tantæ cura & sollicitudine defendere voluerunt.

§. CXIV.

Episcopi Andegavensis controversia cum quibusdam Religiosis.

Abrege de l'hist. Eccl. tom. 3.

Agitabatur insuper cum magna animi contentione controversia inter Henricum Arnaldum Episcopum Andegavensem, & quosdam ejusdem Diœcesis Reli-